

QVID CORNELIVS AGRIPPA DE NETTESHEIM DE MVLIERIBVS COGITAVERIT*

Quaestio mulierum, ut ita dicam, saeculō praeteritō vicesimō et hōc saeculō vicesimō primō magis magisque curabatur atque curatur, ut aequabilitas inter sexūs instituatur. Multi progressūs iam sunt facti (tamen nondum omnibus in civitatibus orbis terrarum), sed nondum ad finem pervēnimus. Maximi enim momenti - sicuti in plerisque rebus atque problematis - est condicio, quā in mentibus hominum atque in eorum modo cogitandi aliquid mutetur.

Sed de statu mulierum in societate humanā atque de quaestione, quomodo eaedem sint percipiendae, quod attinet ad earum facultates, intelligentiam, stabilitatem, fidem et similia, iam pridem disputationes exortae erant. Quas disputationes prioribus saeculis plerumque viri participaverunt. Et illae disceptationes in utramque partem prolatae sunt, id est erant illi, qui feminas esse entes inferiores asseverabant (fortasse ne homines quidem), et erant etiam defensores mulierum, qui aequabilitatem inter viros et mulieres sub omnibus aspectibus exstare affirmabant.

Hōc in conexū nunc breviter inquiremus in scriptum quoddam, quo haec quaestio tractatur et quod composuit Henricus Cornelius Agrippa de Nettesheim, spectantes, quid īdem de hōc problemate cogitaverit.

Sed antequam de hōc tractatū loquimur, quaedam de vitā illius viri dicenda sunt, quia talia semper sunt scitū digna, ut ipsum auctorem eiusque opera paulo melius intellegamus (tamen non omnia singillatim exhibebo). - Vita autem Agrippae valde agitata atque vere variabilis erat. Nolite ergo mirari de iis rebus, quae vobis saltem succincte referam. Henricus Cornelius¹ natus est

* Relatio prolata die 26° m. Mart. a. 2022° inter Academiae Latinitati Fovendae seriem acroasium menstruarum.

1 De vitā operibusque Agrippae *cfr* ex. gr. Wolf-Dieter MÜLLER / Paul Richard BLUM: Agrippa von Nettesheim (1486-1535). Philosophical Magic, Empiricism, and Scepticism. In: Paul Richard BLUM (ed.): Philosophers of the Renaissance. Washington 2010, pp. 124 sqq.; Heinrich GRIMM: s.v. Agrippa von Nettesheim. In: Neue Deutsche Biographie 1 (1953), pp. 105 sq.; Charles G. NAUERT: Agrippa and the Crisis of Renaissance thought. Urbana 1965, pp. 8 sqq.; Charles G. NAUERT: Agrippa von Nettesheim (1486-1535). In: Rheinische Lebensbilder 4. Köln 1980, pp. 58 sqq., Maurice de GANDILLAC: Sur le rôle du féminin dans la théologie d'Agrippa de Nettesheim. In: Revue d'histoire et de philosophie religieuses 55, 1975, pp. 37 sqq.; Otto SCHÖNBERGER (ed.): Einleitung. In: H. Cornelius Agrippa von Nettesheim: De Nobilitate et praecellentia foeminei sexus. Würzburg 1997, pp. 5 sqq.; Marc VAN DER POEL: Cornelius Agrippa, the Humanist Theologian and his

die 14° m. Sept. a. 1486° Coloniae Agrippinae, quā de causā postea semet ipsum Agrippam appellavit. Quia eius nomini adiuncta sunt verba «de Nettesheim», nonnulli putant eum ex gente nobili exortum esse, alii de hac re dubitant. Cum locus Nettesheim sit oppidulum circiter viginti chiliometris a Colonia Agrippina distans, suspicor eius familiam inde originem habuisse. Tamen hanc deliberationem in praesenti probare non valeo. Anno 1499° Coloniae in studia sua satis ampla incumbere coepit, quae anno 1502° licentiatu acquisito in illā studiorum universitate finivit. Ut videmus, erat adhuc satis iuvenilis. «Ampla» autem eius studia appellavi, quia dicitur iam illo tempore tractavisse varias disciplinas, id est scilicet linguam Latinam et aliquatenus Graecam, theologiam, astrologiam, disciplinas mechanicas, opticas geometricasque, ius Romanum, medicinam et speciatim eius intererant fundamenta cogitationum magicarum atque cabbala. Legerat antiquos auctores Latinos, patres ecclesiasticos, textūs Platonicos et neo-Platonicos et etiam opera humanistarum (ex quibus imprimis commemorantur Picus Mirandolanus atque Marsilius Ficinus). Praeterea optimam scientiam Sacrae Scripturae habuit. Manifestum ergo est Agrippam indole vere bonā praeditum fuisse, sed ab initio etiam apparet eum semper fuisse in quaerendo et etiam scientiam quam maximam sibi acquirere voluisse.

Anno 1502° vel 1503° Parisios se contulit, ut ibīdem studia sua continuaret. Illō temporis spatio sodalitati cuidam arcanae se adiunxit, quae in litteraturam Hermeticam,² quae dicitur, in cabbalam atque in philosophiam neo-Platonicam incubuit. Inter hanc commorationem praeterea opus, cui titulus est *De occulta philosophia*, scribere coepit. Anno 1508° unā cum amicis iter in Hispaniam fecit, cuius scopus non omnino manifestatur, sed videtur ibīdem etiam in seditione quadam rusticorum suppressendā participavisse. Deinde breviter in urbe Avennione [*Avignon*] commoratus est, ubi alchimiam exhibuisse dicitur. Anno autem 1509° in studiorum universitatem Dolae Sequanum [*Dôle*] vocatus est, ubi munere theologi fungens praelectiones

declamations. Leiden New York / Köln 1997, pp. 15 sqq.

- 2 Hermetismus est doctrina quaedam religioso-philosophica, quae originem antiquam habuit, sed praesertim tempore renascentiae floruit. Generaliter dictum haec doctrina praebere conatur explicationes quaestionis, quomodo mundus sit exortus, et praecepta dat ad sapientiam sibi acquirendam et ad animam purgandam redimendamque. Thema autem magni momenti erat in eo, ut scientia astronomica atque magica ad medicinam ditandam adhiberetur.

exhibuit, quibus opus Iohannis Reuchlin³ *De verbo mirifico* explicuit. Hae praelectiones bono cum effectū a plerisque bene receptae esse videntur. Cum autem Reuchlinus, cui optima scientia linguae Hebraicae erat, illō quōque in opere praeter alia necessitatem huius linguae atque litteraturae ad Deum Christianum percipiendum exhibuisset et cum ĩdem propter persuasionem atque perceptionem huius rei opprobria perpressus esset, Agrippae etiam difficultates exortae sunt, quia hoc opus explicuit atque defendit. Nam Iohannes [*Jean*] Catilinet Franciscanus hanc ob causam publice in eum invec-tus est,⁴ ita ut Agrippa Dolam Sequanum relinquere cogeret.

Agrippa post ambagines quasdam in Germaniam revertit et annō 1510^o aliquamdiu commoratus est apud Abbatem Trithemium de Sponhemo, Abbatem Benedictini monasterii Herbipolensis. Ibi opus suum, quod est *De occulta philosophia* confecit et ĩdem Abbati Trithemio dedicavit. Tamen hoc opus primo tantummodo ut manuscriptum descriptum ad lectores pervēnit. Typis impressum est demum anno 1531^o (eā de causā ut falsificationes in saepius describendo factas amoverentur et vitarentur). - Sed eōdem annō 1510^o ab Imperatore Maximiliano I unā cum grege legatorum in Angliam missus est, qui in futura gesta regis Henrici VIII effectum exserere conarentur. Anno 1511^o Agrippa in Italiam se contulit, ubi in studia incubuit atque Ticini [*Pavia*], Augustae Taurinorum [*Turin*] atque Mediolani docuit. Ticini etiam primum matrimonium suum iunxit. Ticini praeterea in doctorem medicinae et in doctorem utriusque iuris promotus est. Interim in exercitū Imperatoris Maximiliani I contra Venetos pugnavit, quā in contentione propter fortitudinem titulo honoratus est, qui est «*armatae militiae eques auratus*» (quem titulum deinde in frontispiciis operum suorum imprimendum curavit).

In fine anni 1515ⁱ exercitus Francogallicus iamiam in eo erat, ut inter bella Italica sic dicta oppidum Ticinum caperet. Itaque Agrippa hunc locum relinquere coactus erat et unā cum familiā suā in Pedemontanum se recepit. Illo spatio temporis, id est anno 1516^o, praeterea tractatūs conscripsit, qui sunt *De*

3 Iohannes Reuchlin (1455-1522) erat unus ex praestantissimis humanistis, qui variis in disciplinis eruditus et doctus erat. Difficultates ei exortae sunt (usque ad processum haeresis atque combustionem ipsius librorum), quia in rixa, quae de Hebraicis libris litteraturāque Iudaeorum comburendis exorta erat, se convertit contra talem modum progrediendi. Protulerat autem hōc in conexū sententiam, quae generaliter valet, cum diceret: «*Nolite comburere ea, quae non novistis.*» (Sententia originaliter Theodisca).

4 Nonnullis annis post his opprobriis obviam iit scripto, quod est *Expostulatio cum Iohanne Catilineti* (editum anno 1529).

homine Dei imagine et De triplici ratione cognoscendi Deum, quo in opere demonstrare conatus est ad Novum Testamentum intellegendum necessarium esse, ut ad scriptores Platonicos, ad Zoroastrum et ad Hermem Trismegistum recurreretur, quia sapientiā veterē recuperatā Christifideles denuo potentiam salubriter in naturam exserere possent. Post brevem autem commorationem in Germaniā anno 1518^o vocatus est Metas [*Metz*], ut ibi munere syndici fungeretur.⁵ Cum Agrippa Metis operaretur, etiam res quaedam mira accidit. Nam ab urbis magistratū officium ei iniunctum est, ut mulierem quandam, quae ab inquisitore Claudio Salini accusata est se esse saganam, in processū inquisitionis defenderet. Inquisitoris autem argumentum mulieris culpandae erat eam manifeste esse saganam, quia iam eius mater ut sagana esset condemnata. Agrippa vero in defensione inquisitorem accusavit eum talia dicentem ipsum esse haereticum, cum in gratiam baptismatis non crederet. Quod argumentum videtur vere efficax fuisse, quia Agrippa hōc in processū vicit et mulier liberata est. Tamen haec victoria non erat tam efficax quoad Agrippam ipsum, cum eā de causā apud magistratūs atque clerum īdem magna offensa esset et rumores de ipso exorti essent.⁶ Itaque mense Ianuario a. 1520ⁱ Metas reliquit.

Breviter Coloniae commoratus deinde anno 1521^o Genavam [*Genf*] se contulit, quo in itinere eius uxor vitā functa est. Genavae autem munere medici functus est et ibīdem etiam secundam uxorem ex Gandavensi familiā nobili exoriundam in matrimonium duxit. Genavae operatus est usque in annum 1523^{um}, deinde, etiamsi magistratūs, qui doctissimum eum aestimarent, eum rogaverunt, ut maneret, Friburgum profectus est, ubi quōque munere medici oppidani functus est. Propter dissensiones cum medicis atque pharmacopolis Friburgum anno 1524^o reliquit et locum habitandi operandique transtulit Lugdunum [*Lyon*], ubi erat medicus atque astrologus aulicus Ludovicae [*Louise*] Sabaudiae, matris regis. Praeter alia⁷ illo tempore Agrippa alterum opus suum principale ad finem duxit, quod erat «*De incertitudine et vanitate scientiarum et artium et de excellentia verbi Dei*. Hōc opus (anno 1529^o typis impressum), quo defectūs vitiaque scientiarum, ecclesiae societatisque humanae modo satirico monstravit, optimum effectum apud magnam partem lectorum exseruit et īdem usque ad mortem Agrippae decies reimpressum est.

5 Illo tempore opus suum *De originali peccato* scripsit, in quo asseveravit solam cognoscentiam rationalem ad veritatem non ducere, sed etiam fidem accedere debere.

6 Videntur ergo magistratūs alium effectum huius processūs exspectavisse.

7 Etiam opus *De sacramento matrimonii* Lugduni scriptum est.

Operae pretium certe erit aliā occasione in hoc quōque scriptum paulo fusius incumbere. Tamen propter hunc tractatum Agrippae etiam magnae difficultates exortae sunt - quod non est mirandum. Nam illi, qui adnotationibus criticis tacti erant, se vehementer verterunt contra hōc opus eiusque auctorem et Agrippam haeticum esse atque scriptum vetandum comburendumque esse existimaverunt. Hae difficultates iam tempore Lugdunensi quadamtenus incohatae sunt, sed causa ultima, cur Lugdunum iam anno 1527^o relinqueret erat in problematis pecuniariis, cum salarium suum non acciperet et sic in inopiam detruderetur.⁸

Itaque inter annos 1527^{um} et 1528^{um} iterum Parisiis versabatur, ubi tamen inimicitias perpessus est. Anno 1529^o Antverpiae munere medici functus est, sed non nimis diu, quia - praeter alia etiam propter opus *De incertitudine* - problemata ei praebita sunt. Insuper eodem tempore uxor eius peste abrepta mortua est. Tunc principissa Margarita, ex anno 1507^o praefecta regia Belgii Veteris, quacum iam anno 1509^o contactum habuerat, auxilium ei tulit et anno 1529^o eum historiographum aulicum Machlinii [*Mecheln*], ubi residentia sua erat, reddidit. Quia Margarita iam anno 1530^o vitā functa est, tota res in irritum cecidit et Agrippa munus suum amisit. Deinde se contulit ad Hermannum von Wied, archiepiscopum Coloniensem, hominem indolis satis liberalis, qui ei refugium praebuit et in cuius praedio inde a mense Martio a. 1532^o nonnullos menses commoratus est.

Anno 1535^o Agrippa - nescio ex quibus causis - iter Lugdunum suscepit, ubi sive inquisitione sive aulā regiā instigante captus est, sed e manibus hostium evadere et Gratianopolim [*Grenoble*] aufugere valuit. Ibidem vitā functus est Henricus Cornelius Agrippa de Nettesheim die 18^o m. Febr. a. 1535^o duodequingenta annos natus. Sed quot et quantas res illo spatio temporis satis brevi expertus est!

Uti animadvertitur, Agrippa eruditione amplā praeditus multis in rebus versabatur, sed etiam erat homo intranquillus et quadamtenus agitato. Tamen in opinionibus suis erat stabilis et etiam semper fundamentum suum in fide Christianā habuit. Dicitur vero eum fuisse exemplum, secundum quod Iohannes Wolfgangus Goethe figuram Doctoris Iohannis Faust finxit.⁹ Erasmus autem de ipso iudicavit hunc in modum:¹⁰ «*De viro, de quo quid sentiam*

8 Tamen illae condiciones fortasse cohaerebant.

9 Sed Agrippa scilicet nullam coniunctionem cum diabolo inire conatus est.

10 Erasmus, epistula die 25 m. Apr. a. 1533 ad Abelium Colster directa (nr 2800).

rogas, magnificentius censeo quam de eius ingenio censuram ferre possim [...] Ex eo (sc. libro) deprehendi hominem esse ardentis ingenii, variae lectionis et multae memoriae, alicubi tamen maiore copia quam delectu ac dictione tumultuosa verius quam composita. In omni genere rerum vituperat mala, laudat bona. Sed sunt qui nihil aliud sustinent quam laudari.» - Qualis vera et bona sententia Erasmi, quae generaliter valet.

Nunc autem convertamur ad Agrippae opusculum, quod spectat ad mulieres. Uti iam dictum est, iam tempore mediaevali et tempore renascentiae de quaestione mulierum in utramque partem disputabatur. Ad quam partem Agrippa pertinuerit, iam ex titulo eius scripti apparet, qui est hic: *De nobilitate et praecellentia foeminei sexus*.¹¹ Prolatus quidem erat ille textus iam anno 1509^o ut oratio, quae anteposita est illius seriei praelectionum, quibus agebatur de explicatione operis Iohannis Reuchlin *De verbo mirifico*. Typis demum impressus est anno 1529^o, id est viginti annis post.¹² Dedicatum autem est hōc opusculum et Maximiliano d'Outremont consiliario Caroli V, et praesertim Margaritae principissae Austriae et praefectae regiae Belgii Veteris iam commemoratae, cuius tutelam auxiliumque Agrippa sibi fore speraverat.

Ut ex titulo animadvertitur, Agrippae non solum agebatur de aequabilitate mulierum atque virorum, immo demonstrare voluit praecellentiam feminarum, id est eas sub omnibus aspectibus viros superare. Scripsit enim necessarium esse, ut sexui muliebri tandem aliquando ea attribuerentur, quae iure meritoque eidem deberentur.¹³

11 Fusius de hōc textū scilicet Otto SCHÖNBERGER (ed.): *Einleitung* (1997), pp. 12 sqq.; Maurice DE GANDILLAC: *Sur le rôle* (1975), pp. 40 sqq.; Marc VAN DER POEL: *Cornelius Agrippa. The Humanist Theologian and His Declamations*. Leiden / Boston 1997, pp. 185 sqq. - Connor FAHY: *Three Early Treaties on Women*. In: *Italian Studies* 11, 1956, p. 30 existimat textui Agrippae in conexū talium tractatum esse momentum fundamentale. Breviter de hōc textu praeterea Charles G. NAUERT: *Agrippa and the Crisis of Renaissance thought*. Urbana 1965, p. 27. - Brevissime hunc tractatum commemorat etiam Heinrich GRIMM: s.v. *Agrippa von Nettesheim*. In: *Neue Deutsche Biographie* 1 (1953), pp. 105, qui hunc textum existimat esse insulsum et cuius aestimatio Agrippae ceterum satis mala est.

12 Ut Agrippa ipse scripsit, orationem vivā voce prolata retractavit, ut typis imprimeretur.

13 AGRIPPA: *De nobilitate*, ded.ad Marg., § 1: «*Proinde vero tam dignissimo sexui veras atque debitas sibi laudes tacendo velut invidere et praeripere eumque suppressa agnita veritate suis meritis suaque fraudari gloria, plenum ingratitudeinis arbitrar bar atque sacrilegii.*»

Quod attinet ad aequabilitatem mulierum virorumque probandam, Agrippa longiorem traditionem secutus est. Tempore humanistico (de anteriore tempore nunc non loquor) hōc thema disputari coeptum esse videtur libro Iohannis [Giovanni] Boccaccio, qui est *De claris mulieribus*. Sed etiam in inquisitionibus, quae non specialiter ad hōc thema spectabant, haec quaestio tangebatur, velut in tractatibus, quibus agebatur de eruditione. Nonnulli auctores illō in conexū eruditionem puellarum mulierumque postulaverant, uti exempli gratiā Ludovicus Vives opere, quod est *De institutione feminae Christianae* (1523) et Erasmus Roterodamus in opere, quod est *De institutione matrimonii Christiani* (1526).

Et etiamsi Agrippa dixit se *rem hactenus inauditam, sed a vero haud absimilem*¹⁴ scripturum esse, tamen iam ante ipsum quidam in conamen incubuerunt, quo praestantiam feminarum ostendere voluerunt. Hōc in conexū nominandi sunt exempli gratiā Martinus le Franc opere suo Francogallice scripto, quod est *De propugnatore mulierum* [*Le Champion des Dames*] (1442 / impr. 1485) et Rodericus [Rodriguez] de la Cámara opere suo Hispanice scripto, quod est *De triumpho feminarum* [*Triunfo de las Donas*] (1440). Imprimis non licet in oblivionem venire opus Francogallice scriptum Christinae de Pisan anno 1497^o typis impressum, cui titulus est *De thesauro civitatis mulierum* [*Le Trésor de la Cité des Dames*]. Num omnia scripta de themate suo agentia Agrippa legerit, nescitur, sed certe multa eorum noverat et ex eis etiam hauserat.¹⁵

Quomodo nunc Agrippa ipse thema suum agressus est atque disposuit? Et quibus argumentis lectoribus persuadere conatus est perceptionem suam feminarum esse rectam?

Ipse textus 98 paragraphis continetur et scilicet structuram in modo progrediendi habet. Hanc structuram Agrippa in fine textūs explicat, quo argumenta sua breviter, quin etiam brevissime comprehendit.¹⁶ Ibīdem enumerat singula argumenta, secundum quae praestantiam feminarum generaliter manifestare vult. Haec omnia multis exemplis e Sacra Scripturā, e mythologiā antiquā, e legendis Sanctarum, ex historiā, ex auctoribus contemporaneis (quos tamen

14 AGRIPPA: De nobilitate, ded.ad Marg., § 1.

15 Connor FAHY: Three Early Treaties on Women. In: Italian Studies 11, 1956, p. 30 commemorat auctores, qui post Agrippam in hoc thema incubuerunt, multum ex eius scripto (partim verbatim) assumpsisse.

16 Cfr AGRIPPA: De nobilitate, § 98.

non nominatim affert) depromptis ditavit. Praecellentiam autem mulierum explicari posse scripsit 1. a nomine, 2. ab ordine, 3. a loco, 4. a materia, 5. a dignitate maiore a Deo acceptā, 6. a religione, 7. a natura et 8. ab humanis legibus. Agitur ergo quadamtenus de thematis, sub quibus singula argumenta specialia ordinatim colliguntur. Hanc dispositionem Agrippa eōdem ordine in ipso textū sequitur. Tamen, cum textus non sit tractatus sensū strictō, sed fuerit oratio (quā de causā in titulo etiam legitur «declamatio»), totum opusculum non praebet capitula speciatim inter se seiuncta, quibus fortasse etiam superscriptiones sint. Nihilominus illa structura in ipso textū satis bene cerni potest.¹⁷

Quod hanc structuram Agrippa denique in fine exhibet (aliter ac fortasse exspectamus), scilicet causam habet. Nam - ut dictum est - agebatur de oratione, quā de causā res aliter incohanda erat ad attentionem atque mentes capiendas. Itaque auctor, ut totum problema atque thesim suam principalem statim exhiberet, incohavit sententiis his:¹⁸ *«Deus optimus maximus, cunctorum genitor, pater ac bonum utriusque sexus, fecunditate plenissimus, hominem sibi similem creavit; masculum et foeminam creavit illos.»*¹⁹ *Quorum quidem sexuū discretio non nisi situ partium corporis differente constat, in quibus usus generandi diversitatem necessariam requirebat. Eandem vero et masculo et foeminae ac omnino indifferentem animae formam tribuit, inter quas nulla prorsus sexus est distantia. Eandem ipsa mulier cum viro sortita est mentem, rationem atque sermonem, ad eundem tendit beatitudinis finem, ubi sexus nulla erit exceptio. [...] Nulla igitur est ab essentia animae inter virum et mulierem, alterius super alterum nobilitatis praeeminentia, sed utrisque par dignitatis innata libertas.»*

17 Itaque tota dispositio sic ordinatur: 1. a nomine: §§ 3-7; 2. ab ordine: §§ 8-13; 3. a loco: §§ 14-15; 4. a materia: §§ 16-26; 5. a dignitate maiore: §§ 27-31; 5.a. (quod punctum in paragrapho 98 non enumeratur) de superioritate propter facultates speciales: §§ 32-41; 6. a religione: §§ 42-55; 7. a natura: §§ 56-71; 7.a. exempla, quibus mulierum aequalis indoles monstratur: §§ 72-86; 8. ab humanis legibus: §§ 87-97.

18 AGRIPPA: De nobilitate, § 1.

19 Hōc locō Agrippa scilicet refert ad Gen. 1,27 sq.: *«et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos benedixitque illis Deus et ait crescite et multiplicamini et replete terram et subicite eam.»*

Incohatur ergo Agrippa a fundamentali aequabilitate mulierum virorumque, quae a Deo sic disposita est. Sed hoc indicium idem etiam transgreditur. Nam meram aequabilitatem ostendere ei non sufficit, cum eius scopus sit omnino alius. Dicit enim sexum feminine praeter hanc condicionem generalem viros omnibus in reliquis rebus «*in infinitum paene excellere*».

Cum argumenta sequentia Agrippae aspiciamus, semper respiciendum est eum ut eorum fundamento maximam ex parte Sacram Scripturam uti, quae ei est summa auctoritas. Hoc prudenter fecit, quia praeter propriam persuasionem exhibitam hunc in modum adversariis praevenire conatus est, etiamsi inde saepius alias conclusiones traxit ac illi, qui ex Biblia inferioritatem mulierum probare voluerunt. Nihilominus statim subiunxit se praeterea argumenta sua rationalia afferre nisus in optimis auctoribus, in factis historicis, in conclusionibus perspicuis atque in libris iuridicis legibusque.²⁰

Spectamus nunc plus minusve breviter singula themata singulaque argumenta. Ea autem, quae Agrippa statim in initio de nomine scribit, scilicet de significatione nominis Evae, hic nunc non referam. Sed maioris momenti mihi esse videntur argumenta, quae sub puncto «ordinis» profert. Agitur enim de chronologia, ut ita dicam, quam Deus singulas res entesque creavit atque de statu mulieris in hac serie. Nam, ut Agrippa fusius explicat, Deus ut culmen creationis in fine duos homines fecit, primo virum, deinde mulierem. Itaque eum creatione mulieris totam creationem ad perfectionem adduxisse, quia deinde quievit, cum nihil iam nobilius facere posset. Mulier ergo est «*ultima creaturarum ac finis et complementum omnium operum Dei perfectissimum ipsiusque universi perfectio*».²¹ Conclusio autem auctoris erat se recte dixisse, cum scriberet haec: «*Dissentaneum enim est et absurdum opinari Deum in aliquo imperfecto tantum opus perfecisse*».²² Hac sententiam Agrippa prorsus contradicit opinionibus misogynis, quibus exempli gratiam interrogatur: «*Quaenam res est mulier? Animans imperfectum*».²³

20 AGRIPPA: De nobilitate, § 2. - Refutat autem hoc loco progrediendi modum scholasticorum, quos existimat uti «*adulterinis fucatisque sermonibus*».

21 AGRIPPA: De nobilitate, § 11.

22 AGRIPPA: De nobilitate, § 12.

23 Jean de Meung: Roman de la Rose (1265): «*Qu'est-ce que femme? Une beste imperfecte*».; Iacobus SPRENGER / Henricus INSTITOR: Malleus maleficarum (1486) I,6: «*cum sit animal imperfectum, semper decipit*».

Proximum argumentum Agrippae spectat ad locum. Hoc significat eum praeeminentiam mulieris demonstrare locō, in quo creata est. Breviter dictum, mulier excellit ante virum, quia vir extra paradisum in agro factus est, mulier vero in ipso paradiso. Cum hōc autem punctō locali, ut ita dicam, artē cohaeret argumentum, quod est «de materiā». De hac re Agrippa scripsit haec: «*Praecellit mulier virum materia creationis, propterea quod non ex inanimato quopiam aut vili luto creata, quemadmodum vir, sed ex materia purificata, vivifica et animata, anima inquam rationali mentem participante divinam.*»²⁴ Itaque virum esse «opus naturae», mulierem «opificium Dei». Inde Agrippa praeterea concludit mulieres eā de causā esse corporaliter pulchras eisque splendorem insitum esse. Etiam si respiciendum est hanc pulchritudinem externam - etiam secundum perceptionem Agrippae - esse resplendentiam mentis, animae excellentiaeque internae, tamen de tali sententia satis generali dubitare licet. Solum obiter hōc in conexū tangere volo problema, quod hodiernis quōque temporibus adhuc valet. Nam saepe existimatur hominibus extrinsecus pulchris (et viris et mulieribus) esse indolem bonam et facultates magnas, quā de causā melius tractantur atque aliis praeferuntur. Puto hanc perceptionem esse errorem satis magnum. - Tamen ex hac pulchritudine externa internaque insuper honestatis diginitatem, verecundiam maiorem et similia provenire Agrippa arguit.²⁵

Praeterea - id quod ad proximum argumentum pertinet - mulieres insuper ex ipsā naturā viros superare Agrippa scripsit, cum manifestum esset «*in humani generis procreatione [...] naturam viris mulierem praetulisse*».²⁶ Hoc significat feminas - contra generalem opinionem illius temporis - maiorem partem in infantibus concipiendis procreandisque praebere, quod etiam spectat ad indolem futuram infantis. Hilaris itaque hōc in conexū, cum explicet liberos plerumque matribus similes esse, Agrippae sententia est haec: «*Idque plurimum in corporis habitu, semper autem in moribus; si enim matres stolidae sunt, et filii stolidi fiunt, si matres prudentes, et filii earum prudentiam redolent. Contra vero in patribus, qui si ipsi sint sapientes, filios ut plurimum generant stolidos, et stolidos patres sapientes producunt filios, modo mater sapiens sit.*»²⁷ - Postquam autem nonnulla alia exempla attulit, Agrippa

24 AGRIPPA: De nobilitate, § 16.

25 Cfr AGRIPPA: De nobilitate, §§ 27 sqq.

26 AGRIPPA: De nobilitate, § 32.

27 AGRIPPA: De nobilitate, § 32.

aliquid exhibet, quod maximi momenti ei esse videtur. Nam de lingua sive de sermone loquitur, «*quo uno beluis maxime praestamus*».²⁸ In facultate autem loquendi mulieres viros superant, ut ait, sunt facundiores atque magis disertae. Momentum vero huius facultatis inde monstrari, quia nos omnes primum sermonem a matribus sive nutricibus discimus. Tamen nonnulli viri adhuc dicunt in mulieribus non agi de bonā opportunāque facultate loquendi sermocinandique, sed de merā garrulitate.

Themate vero, quod spectat ad demonstrationem «a religione», Agrippa ad punctum maximi momenti pervēnit, cum multi inferioritatem mulierum sub hōc aspectū manifestare conati essent. Itaque Agrippa hōc in conexū imprimis ad Sacram Scripturam (sed interdum etiam ad cabbalam) recurrit et inde multa exempla depromit atque interpretatur. Itaque hōc capitulum unā cum proximis duobus sequentibus inter maxime proluxa huius tractatūs numeratur. Scilicet punctum centrale est «peccatum originale», quod dicitur et quod traditionaliter Evae attribuitur. Itaque homines crediderunt Evam esse in culpā, cur ipsa et Adam et sic proinde totum genus humanum e paradiso eieci essent, quā de causā iure meritoque feminae viris subditae esse existimabantur.²⁹ Tamen Agrippa illos locos in Genesi inveniendos³⁰ omnino aliter interpretatur.³¹ Nam explicat non mulierem esse in culpa, quod attinet ad peccatum originale, sed virum, quia Adae fructum comedere vetitum sit neque Evae, quae tempore mandati nondum exstiterit et postea inscienter peccaverit. Virum autem condicionem bene scientem peccavisse, mulierem vero peccavisse inscientem atque deceptam, quā de causā femina fuerit innocens aliter ac vir.³² Sed sequela etiam erat alia, ut ait Agrippa: «*Praeterea quia condemnati fuimus propter peccatum viri, non mulieris, voluit Deus, ut in quo sexu fuerat peccatum, in eo fieret et peccati expiatio, et qui sexus*

28 AGRIPPA: De nobilitate, § 41.

29 De explicationibus modernis *cf.* ex. gr. Kurt FLASCH: Eva und Adam. Wandlungen eines Mythos. München 2017, qui refert non solum ad fontes, sed etiam ad huius thematis copiosam litteraturam hodiernam.

30 *Cf.* Gen. 1,27 sqq.; Gen. 2,16 sqq. - Ceterum, ut investigatores scientifici talium rerum periti interea invenerunt, verba Gen. 2,16 sq., quae primo loco in Sacram Scripturam leguntur, videntur esse tempore posteriore scripta. Sed Agrippa hōc scire nondum potuit.

31 *Cf.* AGRIPPA: De nobilitate, §§ 44 sqq.

32 Hōc locō videtur Agrippa (sive consulto sive non consulto) capitulum Gen. 3,3 non respicere, ubi Eva mandatum Dei coram serpente iterat, itaque de ipso scivit.

*ignorans deceptus est, per eundem etiam fieret vindicta.»*³³ Haec significat secundum sententiam Agrippae Christum eā de causā natum esse infantem masculum, quia sexus masculus sit humilior et quia humilitate suā primi peccati superbiam Adae expiare voluerit. Et e contrario praestantiam mulieris manifestari, quia Christus propter mulierem appelletur «filius hominis», cum e feminā, id est e Maria «*dignissima omnium creaturarum*»³⁴ sit natus.

Praeterea scitū dignum est Agrippam hic etiam opinioni longe lateque vigenti contradicere, quā mulieres quoad fidem omnino instabiles esse et quasi portam esse, per quam diabolus in mundum intrat.³⁵ Certe exempli gratiā nota est illa etymologia satis mira, quā asseveratur verbum, quod est «femina», provenire e compositione «fe-» et «-mina», quā significatur mulieres esse fidei minoris.³⁶ Agrippa autem ad talem opinionem refutandam statim factum exhibet Christum a morte resurrectum primo mulieri apparuisse. Praeterea affirmat post mortem Christi solum viros a fide discessisse, mulieres e contrario numquam a fide Christianā aberravisse. Argumentum suum extendit scribens haec: «*Porro nulla umquam fidei persecutio, nulla haeresis, nullus in fide error a mulieribus umquam emersit, secus constat de viris.*»³⁷ Certe tales sententias clerus non libenter audivit.

Tunc vero Agrippa aliquid mirum facit. Nam ad argumentum suum probandum longam seriem mulierum inique agentium enumerat, de quibus in Sacra Scripturā narratur et de quibus ipse dicit eas ibi magis laudari atque eis benedictionem praeberi quam viris beneficientibus, quia hac in re mulieres sint instrumenta Dei.³⁸ Quomodo autem talis argumentatio intellegi potest? Verisimiliter est aliquod genus saturae atque ironiae, quae Agrippae non deesse solet. Tali enim exaggeratione in contrarium vertit sententiam, quae in Sacra Scripturā invenitur et quae est haec: «*melior est iniquitas viri quam*

33 AGRIPPA: De nobilitate, § 46.

34 AGRIPPA: De nobilitate, § 56.

35 Cfr ex. gr. TERT., De cultu feminarum 1,1,2: «*Tu es diaboli ianua, tu es arboris illius resignatrix, tu es divinae legis prima desertrix ...*»

36 Iacobus SPRENGER / Henricus INSTITOR: Malleus maleficarum (1486) I,6: «*Dicitur enim femina fe et minus, quia semper minorem habet et servat fidem et hoc ex natura quo ad fidelitatem.*»

37 AGRIPPA: De nobilitate, § 48. - Simile argumentum etiam AGRIPPA: De nobilitate, § 68, § 71.

38 Cfr AGRIPPA: De nobilitate, §§ 52 sqq.

benefaciens mulier».³⁹ Hunc in modum praeter alia etiam absurditatem talium sententiarum monstrare valet viros generaliter meliores esse feminis. Tamen - ut puto - e talibus locis concludere non licet totum textum Agrippae esse meram ironiam et ipsum thema suum non serio percepisse atque tractavisse. Sed potius huiusmodi argutiae sunt consulto positae, ut praeiudicia maligna erga mulieres ad absurdum ducerentur. Praeterea tales exaggerationes conditioni oratoriae eiusque impetui debentur, cum sciamus textum esse declamationem.

In argumentis, quae «a naturā» derivantur, Agrippa recurrit ad id, quod indolem innatam sexuum esse putat, quo in conexū scilicet bona indoles mulierum eminere ei videtur. Tamen ex conspectū hodiernō talis perceptio nimis generalis certe non nimis valet, cum indoles hominum cohaereat cum educatione, socializatione, quae dicitur, eruditione atque societate humanā, in quā vivunt atque adoleverunt. Nihilominus talia confirmans Agrippa scopum suum generalem sustentare atque promovere intendit. Hic autem a viris incohat eorum improbitatem describens.⁴⁰ Nam dicit: «*Praeterea huius sexus excellentia probitasque ac innocentia vel his argumentis satis abunde ostendi potest, quoniam malorum omnium ortus a viris sit, a mulieribus minime.*»⁴¹ Hanc sententiam probat multis exemplis, ex quibus Adam et Kain sunt prima. Tamen hoc opprobrium fundamentale non sufficit, cum Agrippa subiungit viros quōque primos fuisse, qui foedera cum daemonibus iunxerunt atque artes nefarias sibi excogitaverunt. Praeterea ubique inveniri viros, qui temerariā voluptate fruuntur, qui sunt adulteri, quibus sunt plures concubinae et quibus huiusmodi plura opprobrio dari possunt. Horum vitiorum etiam multa exempla affert. Sed e contrario mulieres sunt verecundae, insigni pudicitia atque amore coniugali excellunt et virginitatem suam etiam morte imminente defendunt. Ceterum in martyrio constanter sustinendo tam fortes se praestiterunt quam viri. Praeterea mulieres insuper sunt inventrices omnium artium liberalium atque omnis virtutis beneficiique. Harum omnium rerum Agrippa multa exempla exhibet. Generaliter autem concludit haec: «*Denique si per singula virtutum genera iter fit, mulier ubilibet principem*

39 Sir. 42,14.

40 In initio huius capituli (§ 56) iterum Beatam Mariam Virginem commemorat, quae in sexū quōque femineo est exemplum insuperabile, cum eadem insuper sine peccato originali sit concepta, id est prorsus immaculata sit. - Tempore Agrippae conceptio immaculata Mariae nondum erat dogma officiale.

41 AGRIPPA: De nobilitate, § 59.

*locum obtinebit.»*⁴²

Deinde Agrippa transit ad condiciones atque multa exempla, quibus demonstrare conatur mulieribus esse saltem aequalem indolem ac viris, et haec quidem omnibus in generibus vitae. Itaque scribit haec: «*Ac ne cui dubium sit mulieres omnia ea posse quae viri, exemplis rem ipsam agamus, et competemus nullum umquam egregium facinus in ullo virtutum genere a viris perpetratum, quod a mulieribus non sit aequae praeclare factitatum.*»⁴³ Hoc quoque capitulum propter multa genera tractata atque propter multa exempla satis amplum est. Sed rem solum breviter exhibere volumus. Sic Agrippa demonstrat tempore pagano sacerdotissas exstitisse, omnibus vero temporibus prophetissas gloriam adeptas esse, ex quibus praeter alias specialiter e tempore recentiore Brigittam reginam Suetiae et Hildegardem Bingensem nominat. Prophetissae Christianae ab Agrippa etiam afferuntur - ut nonnulli suspicantur⁴⁴ - tamquam testimonium tectum mulieres etiam munere sacerdotis fungi valere. Hanc perceptionem fortasse ita se habere, manifestatur ipso textū, quo Agrippa paulo post inter iniurias mulieribus allatas enumerare audet eis verbum Dei praedicare non licere.⁴⁵ Praeterea mulieres decursū saeculorum excellebant in philosophiā, in arte oratoriā, in poesi, in sapientiā prudentiāque. Neque desunt exempla, quibus mulieres mirabili vi agendi eminent. Praeter alias specialiter maximā cum laude Agrippa nominat Iohan-nam Aurelianensem.

Ultimum punctum, de quo Agrippa agit, est quaestio, qualem statum mulieres secundum leges publicas habuerint atque habeant. Primo enim explicat, quae condicio exempli gratiā temporibus antiquis valuerit, nempe mulieribus tunc sub fundamento legum maiorem libertatem, plura iura, maiorem aestimationem fuisse. Sic etiam dicere vult meliores condiciones iam exstitisse atque iterum fieri posse.

Sed deinde ad condiciones pervenit, quae ipso tempore eius sunt in usū et quae legibus exprimuntur. Et hōc locō realitatem describens nihil reticet atque opprobria acria contra viros contemporaneos profert. Audiamus autem Agrippam, qui dicit haec: «*Sed virorum nimia tyrannide, contra divinum ius naturaeque leges praevalente, data mulieribus libertas iam iniquis legibus*

42 AGRIPPA: De nobilitate, § 67.

43 AGRIPPA: De nobilitate, § 72.

44 Cfr ex. gr. Otto SCHÖNBERGER (ed.): Anmerkungen (1997), p. 103.

45 Cfr AGRIPPA: De nobilitate, § 94.

interdicitur, consuetudine usuque aboletur, educatione extinguitur. Mulier namque mox ut nata est, a primis annis domi detinetur in desidia; ac velut altioris provinciae incapax, nihil praeter acus et filium concipere permittitur. Ubi exinde pubertatis annos attigerit, in mariti traditur zelotypum imperium aut vestalium ergastulo perpetuo recluditur.»⁴⁶ Et porro pergit hunc in modum: «Sed tanta est recentium legislatorum improbitas, qui irritum fecerunt mandatum Dei propter traditiones suas, quod mulieres alias naturae eminentia et dignitate nobilissimas pronunciarunt cunctis viris conditione viliores. His itaque legibus mulieres viris tanquam bello victae victoribus cedere coguntur non naturali, non divina aliqua necessitate aut ratione, sed consuetudine, educatione, fortuna et tyrannica quadam occasione id agente.»⁴⁷

Sunt ergo conclusiones Agrippae vere modernae. Optime - meā quidem sententiā - explicat mulierum statum in civitate malum exoriri e legibus, quae aequabilitatem non respiciunt, e consuetudine atque educatione, quibus commoditati atque potentiae virorum servitur. Mulieres tenentur atque tractantur ut servae et ut victimae belli, quae sunt viris inferiores. His verbis modo allatis apparet textum Agrippae non fuisse ludibrium neque meram ironiam, sed fuisse auctoris persuasionem veram. Cum nonnullis locis argumentationem exaggerat, hunc in modum condiciones clariores reddere et ipsam realitatem temporis sui manifestare vult.

Etiamsi humanismo atque reformatione religiosā multa attributa sunt ad hominis imaginem modernam efficiendam, tamen auctores, qualis Agrippa quōque fuit, perceptionem inferioritatis mulierum neque vere neque statim mutare potuerunt. Nihilominus efficere valuerunt, ut feminae contra impetūs malignos saltem melius defenderentur et ut cursus illuminismi praeepararetur.

Tamen res lentissime progressae sunt. Hōc solum duobus exemplis modernis monstrare volo, quae nos hodiernis temporibus fortasse ad risum movent. In initio saeculi vicesimi in Germaniā magistrae caelibes esse debuerunt et, cum matrimonium iungerent, munus suum deponere cogebantur. Tamquam facultates earum evanescerent, cum essent coniunctae cum viro quodam. Et decennio sexto atque septimo saeculi praeteriti mulieribus maritalis munus quoddam suscipere adhuc non licuit sine permissione mariti. Demum anno 1977^o haec lex est mutata.

46 AGRIPPA: De nobilitate, § 94.

47 AGRIPPA: De nobilitate, § 95.

Etiam hac in quaestione idem valet ac in omnibus aliis condicionibus, nempe nihil statim, immediate atque perfecte mutari. Nam mutationes semper sunt processūs, qui plerumque lente progrediuntur. Ceterum - et etiam hōc ad omnes condiciones spectat - interrogandum est, quid sit perfectum et a cuius definitione talia dependeant.

Tamen Agrippa multa argumenta scitū digna protulit, quibus fortasse hodiernis quōque temporibus nonnulli adhuc aliquid addiscere possent.

SIGRIDES ALBERT